

eam sufflammat, & hoc respectu *atheismum* *superstitione* pejorem esse nemo non videt.

§. 6. Sapientem itaque decet, hæc duo extrema videl. *atheismum* & *superstitionem* sedulo evitare, cum sint omnis *malitia* & *stultitia* fontes.

SECTIO II.

DE DEI ESSENTIA ET ATTRIBUTIS.

§. 1.

Hactenus quod sit Deus contra atheos probavimus, pleniorum autem de eo cognitionem nobis conciliabimus, quando ipsius attributa, quotquot eorundem ex inspectione rerum creaturarum per justum mentis ratiocinium intelligi possunt, singulatim perpendemus. *Attributa* autem Dei vocamus illas in ipso perfectiones, quæ ex definitione tanquam conceptu primo fluunt, quæque ex consideratione perfectionum in creaturis deprehensarum colliguntur. Dicuntur ideo Scholasticis *conceptus secundi*, quibus Deum inadæquate, modo sub hac, modo sub illa perfectione concipimus.

§. 2. Solent autem communiter tres constitui viæ, per quas in notitiam attributorum divinorum venire datur, utpote.

I. *Via causalitatis*, quando a contemplatione creaturarum tanquam ab effectu ad causæ primæ, quæ Deus est, cognitionem descendimus.

II. *Via eminentiæ*, quando deprehensæ in creaturis perfectiones attribuuntur Deo, sed in gradu summo ac eminentiori.

III. *Via negationis*, quando deprehensæ in creaturis

turis